

335

et reddit effusis per laxa volumina palmis.  
 semper erit, paribus bellum quia viribus aequant.  
 proxima sors Cycni, quem caelo Iuppiter ipse  
 imposuit, formae pretium, qua cepit amantem,  
 cum deus in niveum descendit versus olorem  
 340 tergaque fidenti subiecit plumea Ledae.  
 nunc quoque diductas volitat stellatus in alas.  
 hinc imitata nitent cursumque habitumque sagittae  
 sidera. tum magni Iovis ales fertur in altum,  
 assueto volitans gestet ceu fulmina nisu,  
 345 digna Iove et caelo, quod sacris instruit armis.  
 tum quoque de ponto surgit Delphinus ad astra,  
 oceanii caelique decus, per utrumque sacratus.  
 quem rapido conatus Equus comprehendere cursu  
 festinat pectus fulgenti sidere clarus  
 350 et finitur in Andromeda. [quam Perseus armis  
 eripit et sociat sibi. cui] succedit iniquo  
 divisis spatio, quod terna lampade crispans  
 conspicitur, paribus Deltoton nomine sidus  
 ex simili dictum, Cepheusque et Cassiepia  
 355 in poenas resupina suas iuxtaque relictam  
 Andromedan, vastos metuentem Pristis hiatus,  
 [expositam ponto deflet scopulisque revinctam]  
 ni veterem Perseus caelo quoque servet amorem  
 auxilioque iuvet fugiendaque Gorgonis ora  
 360 sustineat spoliumque sibi pestemque videnti.  
 tum vicina ferens nixo vestigia Tauro  
 Heniochus, studio mundumque et nomen adeptus,  
 quem primum curru volitantem Iuppiter alto  
 quadriugis conspexit equis caeloque sacravit.